



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Einleitung

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

A P O L O G I A
C O N F E S S I O N I S .

75



DRIMVM ARTICVLVM CONFESSIO-
NIS NO-
STRÆ, probant nostri aduersarij, in quo exponimus
nos credere & docere, quod sit vna essentia diuina,
indiuidua, &c. & tamen tres sint distinctæ personæ,
eiusdem essentiæ, diuinæ, & coæternæ, Pater, Fili-
us, & Spiritus sanctus. Hunc articulum semper do-
cimus, & defendimus, Et sentimus, eum habere certa & firma testi-
monia in scripturis sanctis, quæ labefactari non queant. Et constan-
ter affirmamus, aliter sentientes, extra Ecclesiam Christi, & Idolo-
latras esse, & Deum contumelia afficere.

DE PECCATO ORIGINALI.

SECVNDVM articulum de peccato originis probant aduersarij,
Verum ita, vt reprehendant tamen definitionem peccati origina-
lis, quam nos obiter recitauimus. Hic in ipso statim vestibulo de-
prehendit Cæs. Maiestas, non solum iudicium, sed etiam, candore
rem istis defuisse, qui confutationem scripserunt. Nam cum nos sim-
plici animo, obiter recensere voluerimus illa, quæ peccatum origi-
nis complectitur, isti acerba interpretatione conficta, sententiam
per se nihil habentem incommodi, arte deprauant. Sic inquit, Si-
ne metu Dei, sine fide esse, est culpa actualis. Igitur negant esse cul-
pam originale.

HAS argutias satis apparet in scholis natas
esse, non in consilio Cæsaris. Quamquam autem hæc cauillatio faci-
lime reuelli possit, tamen vt omnes boni viri intelligant, nos nihil
absurdi de hac causa docere, Primum petimus, vt inspiciatur germa-
nica confessio, hæc absoluet nos suspitione nouitatis, Sic enim ibi
scriptum est, Weiter wird gelehret / das nach dem fall Abo alle
Menschen / so natürlich geboren werden / in Sünden empfangen vnd
geboren werden / das ist / das sie alle von Mutter leib an / vol böser
lust vnd neigung sind / keine ware Gottes fürcht / kein waren Glau-
ben an Gott / von natur haben können. Hic locus testatur, nos, non
solum actus, sed potentiam seu dona efficiendi timorem & fiduciam
erga Deum, adimere propagatis secundum carnalem naturam, Di-
cimus enim, ita natos habere concupiscentiam, nec posse efficere ve-
rum timorem, & fiduciam erga Deum. Quid hic reprehendi potest?
Bonis viris quidem arbitramur, nos satis purgatos esse. Nam in hanc
sententiam latina descripto, potentiam naturæ detrahit, hoc est,
G dona